



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 3. Qualitas huius regionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

nois, sed quia Geneuenses extulere caput, nunc tantum dicuntur  
les Gennois.

§. 2. *Quantitas huius regionis.*

*Longitudo* huius tractus duobus modis considerari potest, vel per lineam rectam ab vrbe Monachio *Monaco*, ad Lunæ rudera, & hæc distantia complectitur 165. mil. passuum, leucas Francicas 82  $\frac{1}{4}$ , Germanicas 42. cum  $\frac{1}{4}$ . Si verò obliquè consideretur à Monachio ad Genuam 85. mille pass. leucæ Franc. 41. & dimidia, Germanicæ 20.  $\frac{1}{4}$ . à Genuâ ad Lunæ rudera 70. mil. pass. leucæ Francicæ 35. Germanicæ 17. cum dimidia inuenientur.

*Latitudo* verò *minima* desumitur à Genuâ Buzalam vsque 10. millium pass. vel 5. leucarum Francicarum, & Germ. 2. cum dimidia. *Maxima* verò à Genuâ ad Bettolam 40. mil. pass. 20. leucarum Franc. 10. Germanicarum.

§. 3. *Qualitas huius regionis.*

OLIM Liguria sterilis credita, accedente incolarum industriâ, fertilissima reddita est. Celebrantur tamen potissimum eius vina maximè Tabiana, & Taggina, cæque Apiana dicta, *Muscât*. Magni quoque sit oleum Rapallense *de Rapalo*, nec minùs Planense *de Piano*. Regio inter Genuam & Neruium profus amœna est, aëris gratissimi atque saluberrimi, cultissimi soli, cum tot villis magnificis, vt vna vrbs amœna dici queat.

§. 4. *Mores Genuensium.*

PARVM liberales & hospitaes vulgò creduntur Genuenses, lucro deditissimi, foris splendidi, domi tenaces & parci. Fortes sunt in bellis maritimis, in terrestribus minùs generosi. Seruis vtuntur mancipiis Turcicis non tantum ad priuatas triremes, sed ad domestica munia. Mulieres hîc splendide vestitæ obambulant, iuniores in luxum profusæ, ad pietatem vergente iam ætate pronæ. Hîc virgo vix ante vigesimum annum nubit. Cætera quæ de iis circumferuntur aut omnibus nota sunt, aut falsa. Perfidos credunt eos Galli, quare cum sese Ludouico XI. Regi Galliæ, clientes ob-